



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Puncta Meditationum pro Octiduana Recollectione tyronum, &
proficientium quatuor pro singulis diebus. Cap. XXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

taxare, aut inferiorum vel aequalium lapsus leues tenerius quam par sit punire, vel corrigere, aut plura velle, vel alio modo quam velim: Moderatores, aggredi & patrare. Quae res & illos inquietos reddunt, & alios perturbant, & aliquando ipsi Communitati nocent, & externos quadam indiscretionem offendunt. Nunc ergo isti nimij zelus, feruores, vel potius furor, agnoscendi sunt, & corrigendi consideratione reflexa quarundam doctrinarum à Sanctis traditarum Quarum

1. Offic. cap. 1. Prima esse potest, tradita à S. Ambrosio: *Quaerendum est in omni Actu, quid personae, quid temporibus conueniat, atque aetatibus, quid etiam singulorum ingenis sit accommodatum. Sapere enim quod alterum decet, alterum non decet, aliud iuueni aptum, aliud senij, aliud in periculis, aliud in rebus secundis. Saltauit ante Arcam Domini Dauid, non saltauit Samuel, nec idem ille reprehensus, sed magis iste laudatus. Sicut enim, inquit S. Bernardus, difficillime tenetur modus in eo quod bonum esse creditur, ita non semper tutus est omnis boni appetitus. Et col. 10. Quicumque bonam voluntatem habuerit, secum habet quicquid ad bene viuendum ei opus est. Quamuis bonae voluntati non semper creditur expedire, sed seruanda est, sed regenda est, maxime in incipiente. Regat sancta obedientiae regula bonam voluntatem, illa uero corpus.*

1. de C6. 2. Secunda Doctrina, caque pulcherrima, est eiusdem S. Bernardi alio in loco tradita Eugenio Papae: *Spiritualis homo omne opus suum trinam consideratione praenariat: Primum, an liceat. Deinde an deceat. Postremo an expediat. Nam etsi consistat in Christiana Philosophia non decere nisi quod licet, non expedire nisi quod decet & licet, non continuo tamen omne quod licet, decere aut expedire consequens erit.*

1. 1. 10. 3. Tertia Doctrina petenda est ex ratione uiuendi S. P. N. Ignatij, qui, ut Maffeijs scribit, in consilio capiendis, & rebus gerendis, cum Deum semper accurata supplicatione consuleret, tum uero non pietatis gustum, sed rationis ductum principè sequebatur, ut non rationem spiritus dulcedo praeferret, sed dulcedinem ratio. Hoc enim aiebat, vno maxime belluis homines antecellere, quod hi ratione utantur, illa nequaquam.

1. 6. 11. Et, ut scribit Orlandinus: *In suscipiendis Diuini seruitij causis circumspectionem requirebat maximam. Solebat dicere in Societate, hominum genera duo esse, vnum eorum, qui exierunt solum, alterum eorum qui simul inter extruendum destruerent. Primum genus sibi probari, & hos esse qui studio ac zelo videntur considerato, prouidentes ne quam damni causam non modo se sed ne spece quidem darent, neque iij offenderentur, qui si aduersarij fierent, possent nostrum in Diuino obsequio, & salutis publicae studio, impedire cursum, atque adeo quadam qua rectè alioqui fierent, omittenda censeras, non damni priuati formidine, sed operum respectu potiorum: quia se penumerò, dum parum cauerit quid attentatur, nec illud efficitur, & mora alijs multis obicitur.*

Septimò: Cum in hac Collectione inflammandus sit animus ad Deum perfectius colen-

dum & amandam, & ardentis erga Deum amoris effectus & signum sit, semper ad maiora & plura aspirare, per quae Diuina colatur & ametur quam maxime Maiestas; ideo nunc excitanda est pijs considerationibus huius Collectionis & accendenda voluntas, ut non tantum perfecte deinceps Deo seruias cum colendo & amando, quoad te ipsum, & alios ratione tui gradus & officij ad idem inducendo, verum, ut tam sit ampla & perfecta & feruens Deum colendi & amandi in te ratio, ut quodammodo compenses & suppleas obsequia Deo debita, quae multi impie & tepide viuentes omittunt, ut quadam ratione ex Dei sincerissimo amore & reuerentiâ, soluas Deo debita male & tepide viuentium, quae iij soluere non curant, quin potius noua contrahunt, male & tepide Deo seruendo, immò illum tot modis indignis quotidie offendendo. Talis enim eorum vita, est magnum incitamentum ad vitam à nobis sanctissimè traducendam, & ad consolandum Dei cor tot peccatis hominum impiorum & tepidorum (ut modo humano loquar) contristatum & afflictum.

Denique ad omnem perfectionis gradum assequendum, haec Collectio instituenda est. Na, ut ait S. Chrysostomus, *Si uolueris Apostolorum virtutem assequi, nihil te prohibebit: sola enim voluntas, ac seruentissimus virtutum amor tibi sufficit.* Nunc autem est tempus, voluntatem magis ad feruentissimum virtutis amorem accendendi.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

Puncta Meditationum pro Octidua Collectione trorum, & proficientium, quatuor pro singulis diebus.

Notandum circa puncta Meditationum. Inter alia adiumenta conducentia ad bonum meditationum successum, vnum est, ne puncta in meditationibus consideranda sint fusa: siue legantur in aliquo libro, siue viva voce tradantur ab aliquo. Hoc monuit S. P. N. Ignatius in libri Exercitiorum initio, his verbis: *Ille qui modum & ordinem alteri tradit meditandi, siue contemplandi, fideliter narrare debet meditationis, seu contemplationis, historiam, percursis obiter duntaxat puncta illius precipuis, & adiecta solum breui declaratione: Et causam bonam huius moniti S. Pater statim subiunxit: *Ut is qui meditaturus est, discurrat postea, & ratiocinetur per seipsum. Ita enim fiet, ut dum aliquid innenerit quod elucidationem vel apprehensionem historia aliquantò maiorem prebeat, (siue ex discursu proprio, siue ex diuina mentis illustratione id contingat) gustum delectabiliorum, & vberiorum fructum percipiat, quam si res ipsa ei ab altero diffusius narrata & declarata esset. Non enim abundantia scientia (quae puncta diffusè tractata pariunt) sed sensus & gustus**

263.

h. 47. in Matth.

264.

rerum interior, desiderium anima explere solet.

Quocirca, non est operæ pretium pro meditatione præparare se lectione talium librorum, in quibus sunt posita non tam puncta meditationum, quam ipsæ meditationes extensæ, continentes illos affectus expressos, qui decursu meditationum, ab ipso meditante inueniri & excogitari, & elici debent, uti & proposita particularia ex his affectibus orta. Seculares tamen in usu meditationum, non exercitati, & religiosi infirmi vel debiles, ob capitis indispositionem discurrere non valentes, possunt se iuuare lectione, lentâ valdè, talium librorum, & in eâ illos pios affectus elicere, illo ipso tempore, quo eos legunt. Et ita S. Teresa cum nondum acquisisset orandi, & meditandi proprio discursu & diuino lumine modum, legendo quandam spiritualem librum, eo se excitabat ad illos, quos legebat, pios affectus, quos deinde, edocta & mota diuinitus, per se ipsam, sine lectione illius, inueniebat & eliciebat. Ideo hoc loco pro tironibus, & iis qui in viâ purgatiuâ versantur, posui infra breuiter proposita puncta meditationum, & quasi maiores propositiones syllogismorum practiorum, ut ex illis, quæ meditantur, deducant propositiones minores & particulares, ac conclusiones bonarum resolutionum, & propositorum faciendorum, ad vitæ reformationem seu perfectionem.

vita c. 4.

Et sic breuiter scriptorum punctorum tres, vel quatuor tomos habuit S. Carolus Borromeus, quibus utebatur pro suis meditationibus, qui nunc extant in Bibliothecâ Mediolanensi Ambrosianâ.

Giuff. l. 8.
cap. 5.
vita S. Caroli.

Porro idè in his meditationum punctis, nec orationem præparatoriam, nec præludia & rarè colloquia posui, tum quia ea scripsi pro exercitatis in meditando, iuxta præscriptum libri Exercitiorum S. P. N. Ignatij tum quia facili negotio, etiam tiro per se ipsum potest, Deo iuuante, talia excogitare & adhibere.

MEDITATIO PRIMA.

De sine primo, die prima.

I. Punctum. Considera finem, propter quem creatus est homo: scilicet, ut Dominum Deum suum laudet, ac reueratur, eiq; seruiens tandem saluus fiat. Quâ in te perpende præstantiam finis, tum ultimi qui est salus æterna, & summum bonum, maius omnibus bonis huius vitæ; tum intermediorum finium, qui sunt, laudare Deum, reuereri, ac ei seruire; ut hinc concipias ingens desiderium, quam perfectissimè seruiendi Deo in hac vita, ut & respondeas Dei erga te amoris, qui te ad tam altum finem creauit, & ut maximæ felicitatis, in consecutione huius finis sitæ compos fias.

II. Punctum. Considera quid à Deo in creatio-

ne tui ad hunc finem acceperis; nimirum, animam immortalem, cum intellectu, memoriâ, voluntate, aptam ad recipienda innumera dona à Creatore & Redemptore tuo: Corpus, cum quinque sensibus & membris integris, sanis, (quod multis hominibus deest) atque ita cognosce, non deesse tibi in te ipso instrumenta, & media, à te ipso non diuersa, quibus si utaris ad laudem & obsequium Dei, possis facillimè cum diuinâ gratiâ consequi æternam salutem. Gratias igitur age Deo pro his; & cum non sint hæc tibi data à Deo ad malum usum, agnosce te iis debere uti ad consequendum tuum finem.

III. Punctum. Considera, quomodò hæc tuis potentis animæ tuæ, & membris ac sensibus corporis tui, quæseris laudem, & obsequium Dei, ac salutem æternam: si benè quæseris, diuino hoc muneri adscribe, gratias age Deo, & ab eo pete, ut in posterum ita, imò adhuc perfectius quæras hos fines, propter quos creatus es. Sin minus, vehementer dole, & magnum excita in te desiderium, & Deo pro offensa satisfaciendi, & resarciendi tua damna, quæ sunt multò maiora omnibus damnis huius vitæ: quia minimus gloriæ gradus, (quem non assequimur ob solam omissionem alicuius operis boni,) est præstantius bonum, omnibus bonis temporalibus huius vitæ: siquidem, ut docet S. Thomas, Bonum gratiæ vniuersi, est maius bono totius nature vniuersi. Quocirca annota præcipua peccata tua, vel defectus tuos, committi à te solitos in usu potentiarum animæ, & membrorum & sensuum corporis tui, eos ut deinceps vites.

1. q. 109.
a. 9. ad 11.

In Colloquio gratias age Creatori tuo pro his beneficiis: Dole de peccatis in malo usu animæ & corporis commissis: Veniam pete: Adhibe intercessores B. V. Mariam, & alios Sanctos, præsertim tuos patronos, & inter hos, Angelum Custodem. Propone seriam emendationem, eam que offer Christo Domino, tamquam Mediatori tuo, in vnione eius meritorum, ut tibi det gratiam exequendi bona proposita circa tui emendationem.

In fine Pater Noster. Ave Maria. Anima Christi.

MEDITATIO SECUNDA.

De sine secundo, die prima.

I. Punctum. Considera reliqua super terram sita, creata esse hominis ipsius causa, ut eum ad finem creationis sue prosequendum iuuent. Hic agnosce liberalitatem Dei, qui tibi, tam multas, tam varias creaturas, idque copiosè suppeditauit, ut per illas, tanquam per media quædam, diligentissimè quæres finem tuum, hoc est, laudem & obsequium Dei, ac salutem tuam. Gratias ei age pro tam liberali beneficentiâ, quæ te non solum necessariis, sed etiam supra necessitatem tot creaturis ditauit;

1er. 41.

uit, etiam tuæ recreationi, non soli sustentationi, seruitutis: & in te excita efficac desiderium correspondendi intentioni Dei, quam habuit, dando tibi tam multas, tam miras, & insignes creaturas ad reddendam tibi faciliorem consecutionem finis tui, & in hac vitâ & in alterâ.

II. *Punctum.* Considera quomodò hæc tunc vsus his creaturis ad laudem Dei, & salutem tuam: quod cognosces ex tribus signis: Primò, an magis & libentius occuparis actus internos animæ, & externos sensuum, & membrorum, circa creaturas (sistend in illis solis) quàm circa Deum, eiusque laudem & obsequium, ac salutem tuam procurandam. Secundò, an facilius offenderis Deum, quàm creaturas. Tertiò, an magis dolueris, & senseris iacturam alicuius creaturæ, quàm Dei gratiæ & occasionis ei seruiendi, & salutem procurandi. His benè ponderatis, agnosce cæcitatem & stultitiam tuam, & desse tam multa bona & lucra æterna omiffa, & mala commiffa, grauissimis pœnis, vel in hac, vel in alterâ vitâ, luenda.

III. *Punctum.* Considera ardens & indefessum studium secularium, in variis mundi statibus, quærendi fines suos: quanto nimirum conatu, labore, sumptu, assiduitate, molestis, periculis, se macerent, licet incerti sint, & sæpè non allequantur fines quos quærunt, eosque non æternos, malis autem quàm plurimis plenos, siue ij sint honores, siue diuitiæ, siue voluptates. Ex alterâ parte vide, an tu finem tuum, tam excellentem eodem modo, quo illi suum quærunt, quæseris & quæras. Quòd si non illo modo, confundere, dolo, & propone seriam in multis particularibus emendationem; & magnum excita desiderium, in posterum omni studio in omnibus actionibus, nihil aliud prætendendi, quàm laudem & obsequium Dei quàm maximum.

Colloquium, vt in primâ Meditatione.

MEDITATIO TERTIA.

De Fine, tertia die primo.

I. *Punctum.* Considera finem communè omnibus Religiosis, propter quem à Deo vocati sunt in Religionem; vt scilicet perfectius viuerent quàm sæculares in mundo: hoc est, perfectius seruando præcepta decalogi & Ecclesiæ, & præterea vota Religionis. Tu vide an vixeris hæc tunc iuxta hunc finem, ad quem vocatus es, & prout inueneris te vixisse, vel Deo gratias age pro bonâ vitâ, vel desse malam, ponderando illa Prophetæ Ieremiæ verba: *Quid est, quòd dilectus meus in domo meâ fecit scelera multa?*

II. *Punctum.* Considera media ad finem vitæ Religiosæ tibi data, communia cum aliis Religiosis, quæ sunt triplicia: primò vsus Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ: secundò ex-

ercitium virtutum fidei, spei, charitatis, humilitatis, paupertatis, castitatis, obedientiæ, sobrietatis, mortificationis carnis, & affectuum patientiæ, & aliarum virtutum: tertio, auxilia interna diuina, quæ maiora sunt in Religione; & externa ipsius Religionis, qualia sunt habitatio separata à sæcularibus, Superiorum vigilantia, Regularum instructio, exempla bona domestica, aliorum pro te preces & totius Religionis bonorum communicatio, remotio multarum occasionum peccati. Vbi duo perpende: primò, potuisse te facillimè tot medijs adiutum perfectionem consequi: secundò, seuerum iudicium Dei te manere, quòd tam parum profeceris in tot auxiliis: deò desse præteritos errores, seriam propone emendationem in aliquot rebus particularibus.

III. *Punctum.* Considera motiua, quæ te excitare possunt, vt per media Religiosæ vitæ finem eius quæras in omnibus actionibus tuis. Hæc autem esse possunt præter alia, Dei voluntas, qui te ad hunc finem vocauit; Christi tot labores, & ipsa mors propter hoc suscepta; tam multa Christi & aliorum Sanctorum exempla, etiam in hunc finem in Ecclesiâ relicta; tam multa, & tam varia beneficia Dei & prospera & aduersa: Item satisfactio quam debemus Deo pro præteritis peccatis: gratitudo pro tot beneficiis; denique exemplum sæcularium, qui fines suos, sæpè malos, semper transitorios & caducos, tam ardentè quærunt.

Colloquium, vt supra.

MEDITATIO QVARTA.

De Fine, quarta die primo.

I. *Punctum.* Considera finem propter quem vocatus es ad Societatem, qui est, non solum saluti & perfectioni propriarum animarum cum Diuinâ gratiâ vacare; sed cum eadem impense in salutem, & perfectionem proximorum incumbere. Hic considera miram excellentiam huius finis; Dei erga te amorem; qui te ad tam nobilem finem vocauit, ad quem vocauit Apostolos; ideoque accendere ad acquirendum hunc finem, propositis aliquot motiuis, quæ te excitare possint ad huius finis desiderium, & amorem ardentem.

II. *Punctum.* Considera propria media & auxilia, quæ Deus dedit tibi in Societate ad quærendum hunc finem: ea sunt: frequentior vsus Sacramentorum, quàm in aliis Ordinibus: frequentius examen conscientiæ: vsus meditationum practicum ad vitæ reformationem institutis; exhortationes domestica: manifestatio conscientiæ; Confessio generalis semestris, vel annua, votorum renouatio; superiorum immediata & mediatorum assidua vigilantia & custodia: Nouiciatus longior: variæ probationes

T t ante

ante tempus Professionis non determinatum: tot Regule, & Ordinationes & Instructiones, ac Epitola Generalium, minutissima quaeque & vitanda & facienda indicantes; omnia impedimenta submota, & alia. Vnde agnosces, quàm facile posses, si velles, cum diuina gratia, assequi finem tuum, & quàm felix sis, cui tot Deus adminicula dederit & praesidia. Proinde magnam opinionem & amorem erga vocationem tuam ad hunc Ordinem concipe, & ardens desiderium, Deum quàm maximè glorificandi in Societate.

III. *Punctum.* Considera quomodo vsus sis in Societate haecenus istis mediis & auxiliis ad tuum finem, vt agnitâ prauitate, & socordia, & ferè in omnibus istis supinâ negligentia, sancto odio contra vitia tua armatus, seriam proponas in rebus particularibus emendationem, & praeteritam ingratitude, & tepiditatem tuam amarè desens, in posterum in omnibus actionibus tuis Deum, quàm maximè glorifices, omnesque tui temporis & vitae partes, ac momenta transigas, vt à Deo verè agnosci possint, esse perpetua Dei laus, obsequium, dilectio, eaque quàm maxima, & quàm perfectissima, tum vt Deo satisfacias, tum vt praeteritam tepiditatem compenses nouâ vitae sanctitate, & correspondeas Christi erga te charitati, qui pro praeparando pharmaco his tuis infirmitatibus curandis necessario, sanguinem proprium effundere, cum vitae propriae iacturâ, dignatus est: pro quâ eius dilectione ardentissimas age gratias, & ad agendas inuita omnes Sanctos, & omnes creaturas; & implorato eius auxilio, seriam propone fugam in posterum, quinque saltem peccatorum venialium praecipuorum, in honorem & memoriam quinque vulnerum Christi Dei & Redemptoris nostri.

Colloquium vt supra.

MEDITATIO QVINTA.

De Fine, prima secundo die.

I. *Punctum.* Considera causas, seu vias, per quas, dum in saeculo esses, recedebas à fine tuo, & tendebas ad damnationem aeternam: haec erant; ipsa habitatio in saeculo, plena occasionibus & incentiuis ad peccata, & distractionibus abstrahentibus nos à bonis operibus: item defectus eorum auxiliorum, quae secum adfert, ex Dei munere, vita Religiosa. Hinc practicè agnosce, quàm sit tibi detestandus status saecularis, & amandus Religiosus, ei contrarius.

II. *Punctum.* Considera causas, seu impedimenta, propter quae in Societate vix aliquid perfectionis ad hoc tempus es affectus, & intra te ipsum collige, & numera omnia, & collata cum praesentia finis tui, & mediolorum, quae habes ad finem istum, erubescere, & confundere

coram Diuina Maestrate, quod plures feceris vilissimas res, & indignissimas, quàm Deum, ob cuius gustum & consolationem debebas per haec media quaerere finem tuum, & eum poteris assequi.

III. *Punctum.* Considera modos practicos, seu media, quibus in posterum vti debeas, vt euites illas vias, & illas causas, quae te impediebant, ne mediis ad perfectionem tibi à Deo datis, ita vt par erat, vtereris, & ardentè inuocato auxilio diuino, propone seriam emendationem, eamque in praecipuis defectibus tuis ostende.

MEDITATIO SEXTA.

De Fine, secunda secundo die.

I. *Punctum.* Considera necessitatem indifferentiae, etiam saecularibus necessariae, circa vsus Creaturarum, ex se non malarum. Cum enim ex nobis ad salutem nostram quaerendam sint datae, & sapè nesciamus, per quas illarum, nos velit saluare Deus, siquidem vna eademque vni prodest, obest alteri; idè quilibet non se periculo salutis exponat, nulli mordicus adherere debet sed abstractus ab omni immoderato amore, semper paratus esse, ad vtendum hac vel illa, prout ad finem suum consequendum conducet. Atque ita fructus huius puncti is sit, conuincere intellectum nostrum circa necessitatem huius indifferentiae, etiam cum saecularibus communem.

II. *Punctum.* Considera necessitatem huius indifferentiae in Religione, quae in eo sita est, vt quantum est in te, non eligas magis hunc locum quàm illum, hanc occupationem magis quàm illam, hanc personam magis quàm illam, hunc modum tractandi negotia potius quàm illum, hunc gradum in Religione potius quàm illum: sed illud ex his rebus tibi velis contingere, quod te magis iuuare potest, idque non iuxta iudicium tuum, sed iuxta iudicium Dei, quod fallax non est, ad finis tui, consecrationem.

III. *Punctum.* Considera media, quae Deus nobis dedit ad cognoscendam Diuinam voluntatem, circa vsus harum creaturarum, vel illarum, & mediolorum ad finem nostrum consequendum. Media autem sunt, tum praeccepta, tum monita, seu consilia Superiorum; quia expressè Deus in Scriptura nos secutos de hac re reddit, dicens: *Qui vos audit, me audit,* & aliis locis. Vnde firmiter statue, hac via tibi incedendum esse, si nolis aberrare à via salutis, & perfectionis: & incusata priore tuâ resistentiâ, seriam in posterum propone emendationem. Porro motiua indifferentiae sunt, Primum, Dei voluntas, dum nos ad hoc Institutum vocauit, quod exigit indifferentiam. Secundum, Promissio à te facta Examinatoribus, & Superioribus de

ea, dum peteres ad Societatem admitti. Tertium, Promissiones Deo factæ de ea toties in meditationibus & deuotionibus tuis. Quartum, Christi exemplum, qui res amarissimas nostri causa pertulit. Quintum, Media prædestinationis eâ exigunt, quia cum nos ipsi nesciamus, per quæ media occupationum, & habitationum, in hoc vel illo loco, & gradu in Societate, præuiderit ab æterno Deus nos saluos fore; sicut è saltim consequi volumus, ea eligenda sunt nobis, quæ iudicauerint Vicarij Dei, nostri Superiores, quos Deus ipse dedit nobis pro interpretibus suæ voluntatis; & assecuranr nos, dum illos audiemus, Deum ipsam audituros.

MEDITATIO SEPTIMA,

Et prima de peccatis, prout est posita in libello Exercitiorum spiritualium, tertia secundo die.

I. Puncto Quærendæ & perpendendæ sunt rationes, quæ demonstrant, tua peccata multò grauiora esse, vno solo peccato superbie Angelorum, tantum semel commisso, nec tam multiplicibus beneficiis affectorum, nec tot prædijs, quibus tu abundas; vt hinc veracissimè tibi persuadeas, & planè te conuincas, peccata tua te reddidisse magis fœdum, magis fordidum, magis execrandum, magis Deo exosum, & multò peiorem ipso diabolo, vt Sancti dicunt. Vt hinc concipias nauseam quandam, & sanctum odium tui, ita peccatis tuis fœdati, & coram Deo fatentis.

In II. **Puncto** Considerati possunt duo: tum effectus mali peccati Adami, tum rationes similes prioribus, quæ ostendunt, peccata tua esse multò grauiora, quàm fuerit inobedientia personalis Adami per se considerata. Vt hinc quoque concipias vilissimam de te opinionem, & ad desenda amarè peccata tua exciteris.

In III. **Puncto**, in memoriam reuocatis in genere præcipuis peccatis tuis, ob quorum similia certum est multos iam esse in inferno: & ex altera parte, ponderata malitia tua, quæ multò maior est, vt vidisti, superbia Angelica, agnosce practicè, te magis mereri pœnas inferni, quàm meritis sit diabolus, non ita vt tu, malus. Vnde sequitur, quàm valdè sint à te desenda peccata tua, & quàm modis omnibus, præsertim reum, animo, aut corpori, molestatum, tolerantia indefessa, castiganda, vt Deo, ac Creatori tuo pro illis, quàm optimè satisfacias, & quàm citissimè, Quocirca hinc agnosce, non debere te vlla re turbari in Religione, quamuis molestissima, & summè iniuciosa esse videatur, tuo amori proprio, & tuæ naturæ immortificatæ: quia peccata tua maiores pœnas merentur.

In Colloquio, desse peccata tua præterita:

veniam pete à Deo: adhibe Christum Mediatorem: B. Virginem, & alios Sanctos intercessores. Gratias age pro Dei patientia, qui te tantum tolerauit, & non puniuit. Propone emendationem: offer hanc voluntatem Christo Domino, & pete gratiam exequendi hæc proposita.

MEDITATIO OCTAVA.

Secunda de Peccatis, quarta secundo die.

Eadem erit, quæ est secunda in Exercitijs.

I. Puncto, confusè recogitanda sunt peccata vitæ præteritæ, ne aliquorum memoria molestiam pariat turpitudine sua.

In II. **Puncto**, consideranda est peccatorum fœditas, & nequitia: quæ facilius apprehendetur, si conferatur cum illis rebus turpibus & fœdis, à quibus abhorreere & fugere solemus cum quadam nausea: harum enim rerum, si reales & positivæ sint, Deus ipse auctor est; peccati verò nullo modo. Atque ita multò sunt fœtidiora omnibus rebus istis peccata tua, & tu propter illa. Statue ergo, quomodo tractandus sis ab omnibus, ita fœdus & abominabilior omni fœdo sanguine, pure & sanie &c.

Tria reliqua puncta sunt in Exercitijs.

MEDITATIO NONA.

De Panis Purgatorij, prima tertio die.

I. Punctum. Considera incredibilem pœnarum Purgatorij acerbiteriam, eò quòd sit maior omnibus carnificinis, tormentis Martyrum, quæcumque possunt esse in hac vita, vt docent SS. Patres, maior cruciatibus Passionis, & mortis Christi Domini, vt docet S. Thomas: Est enim idem ignis in Purgatorio, qui cruciat damnatos & dæmones in Inferno, etsi dispari modo: imò, vt aliqui graues Theologi cum Caietano docent, aliquos iustos pro certo tempore magis cruciat, quàm damnatos. Cum ergo hæc pœnæ subeantur ob peccata mortalia iam remissa, sed non plena satisfactione compensata, vel saltem ob peccata venialia, hic non plenè expiata, duo necessaria sunt ad eas euadendas: primò, vt quàm rarissimè pecces, & quàm leuissimè: secundo, vt pro peccatis admissis, quàm maximè satisfacias, modis in Ecclesia vlitatis. Statue ergo quid in te hæc pœnarum Purgatorij acerbitas benè ponderata, efficeret debeat, vt quàm citissimè te liberet ab obligatione certa eas subeundi.

II. **Punctum.** Considera, paucissimos esse iustos, qui sine Purgatorio rectè eant ad cœlum; vt patet ex dialogis S. Gregorij & historijs alijs Ecclesiasticis certissimis, & benè docet Bellarminus. Idè cogita, quibus modis possis

his eorum esse è numero qui rectà caelos petunt.

Sarius in
Vita.

III. *Punctum.* Considera paucos esse, qui patuo tempore in Purgatorio detineantur; aliquos certè compertum est ad diem Iudicij mansuros, vii de quodam magno Prælato S. Ludgardæ reuelatum est; et si is fuerit valdè bene de Ecclesia meritis, & utilis Ecclesiæ. Cùm ergo tu sis conscius multorum tuorum peccatorum, saltem venialium, vide practicè, quomodò in posterum viuere debeas, vt vel Purgatorium non attingas, vel ibi breui tempore detinearis.

In Colloquio, dole de peccatis tuis, veniam pete, adhibe intercessores, propone emendationem in aliquibus præcipuis peccatis, & cetera fac, vt in alio Colloquio supra posito.

MEDITATIO DECIMA,

Prima de Peccato veniali, secunda tertio die.

2. Reg.
vi.

I. *Punctum.* Considera peccata venialia in magis Dei amicis grauissimè à Deo castigata; propterea enim Moysen & Aaronè Deus à terra promissionis exclusit; propterea ob solius David peccatum veniale 70000. virorum peste extinxit. Confer nunc te ipsum cum istis Sanctis, & peccata tua cum his peccatis eorum, & grauitatem supplicij Diuini horum Sanctorum peccata castigantis perpende. Ita enim agnosces, quàm graue sit, quàm Deo exolum quoduis peccatum veniale. Quocirca ne te similibus suppliciis in hac vel in futura vita obnoxium reddas, talia peccata diligentissimè cauere stude.

II. *Punctum.* Considera posse te facilè & hæc & illa peccata venialia euitare, si certò tibi persuadeas, te propter illa mereri similia supplicia suprascriptis. Si enim nunc certò crederes, te post vnum verbum otiosum, statim combustum iri, procul dubio abstineres ab omni verbo otioso. Pondera ergo multò maiorem esse acerbitatem pœnarum Purgatorij peccatis venialibus debitarum; & saltem timore pœnarum, à peccatis talibus retrahere.

III. *Punctum.* Considera fœditatem & multitudinem tuorum peccatorum venialium: Fœditatem quidem, comparando peccata venialia eum fœditissimis rebus & morbis nauseam incurientibus, quibus procul dubio sunt magis fœda, ac proinde magis detestanda. Sicut ergo vehementer erubesceres, si esses plenus vlceribus, & scabie fœtente, & sanie purulenta, vnde quaque effluente, stomachum aliis mouente, ideoque si in tua potestate esset, ab iis rebus mundum esse, certissimè statim velles ab iis mundari, nec amplius fœdari istis sordibus, & spurcitiis. Idem firmo animi decreto faciendum tibi

est, circa mundationem animæ à peccatis venialibus, & fugam illorum. Quocirca ferò delibera, quid tibi in posterum hac in re faciendum sit.

Colloquium vt supra.

MEDITATIO VNDECIMA,

Secunda de peccato veniali, tertia secundo die.

I. *Punctum.* Considera effectus peccati venialis duplices: formales, & quasi effectiuosi. Formalis est ipsa macula, quæ aded displicet Deo, vt Primò, si esset (per impossibile) in animâ Christi, tolleretur ab ea beatificam visionem, & eius humanitatem è cælo excluderet. Secundo, si esset aliquis Sanctus habens omnium Sanctorum sanctitatem & dona, & sanctior ipsa B. Virgine & omnibus Sanctis, si decedens ex hac vita cum vna sola macula peccati venialis, & eam per totam aternitatem retineret, ab ea nõ liberaretur per totam æternitatem, nec admitteretur ad gloriam cælestem, quamuis haberet tam magnum ius ad illam, & gratiam iustificationem, & tot fauores Dei dum viueret. Tertio, aded displicet Deo hæc macula, quòd si fieri posset, vt quis leuissimè venialiter peccando, posset esse causa, ne amplius ab vno hominum vllum peccatum veniale & mortale committeretur, & vt omnes homines magni Sancti euaderent, Deus propter tam bonum effectum non præberet assensum ad hoc, vt peccatum veniale committeretur.

Effectus effectiuus sunt, Primò, quia semper impediunt ne homo tantum mereatur gratiæ & gloriæ augmentum, quantum mereretur, si actus qui possunt esse boni meritorij; à peccatis venialibus nõ inficerentur. Secundo disponit ad mortalia, vt patet experientia in illis qui sine causa in Societate non perseverant: eorum enim discessus non statim fuit factus, sed sensim à peccatorum venialium neglectu in initium sumpsit. Tertio, causa sunt grauissimarum pœnarum in Purgatorio. Hi quoque effectus ponendi sunt in tertia persona: si quis posset esse causa, ne anima Christi Deum videret & vt eius humanitas è cælo excluderetur; & sic de aliis duabus similitudinibus, vel exemplis. Item, si quis esset causa, ne lucraremur aliquem magnam dignitatis gradum, si sæculares essemus (qui tamen, licet maximus sit, longè inferior & minimo gratiæ & gloriæ gradu,) & si quis potione aliquâ suauis (bibens, sicut aquam iniquitatem) sed occultè venenata, paulatim disponderet alterum ad mortem (quæ tamen non est tam graue malum, vt peccatum mortale, ad quod peccata venialia disponunt) & si quis procuraret, vt alter in mille partes secaretur, & grauissimis tormentis exerceretur (quæ tamen picta videntur, si conferantur cum pœnis

his Purgatorij) quam nefarius & abominabilis esset, & quanto perè omnes ab illo abhorrerent! Quàto ergo magis fœdum & abominabile est peccatum veniale! Vnde excitanda est magna eius detestatio, & in posterum cavendum ab illo.

II. *Punctum.* Considera, quomodò his offendisti Deum, vsq; ad eò, vt nullus homo sit in mundo, ne bestia quidem fœdissima & vilissima, quam ad eò grauius offenderis, & tam sapè & tam audacter. Hinc sanctum odium contra te concipere debes, illudq; Deo demonstrare tolerantia omnium humiliationum.

III. *Punctum.* Considera propter quid ad eò offendisti Deum, sapè ex leuissimis rebus sumpta occasione, propter hominem, propter relictus humanos, propter commoditates in victu, propter vnã portionem aliquando non benè conditam murmurasti &c. Quantum dedecus & pudori Doleas ergo, & fleas, quòd res tam viles potius curaueris, quam Deum, quem propter illas offendisti, & deinceps talia peccata vitare.

Colloquia tria, vt in tertio Exercitio de peccatis.

MEDITATIO DVODECIMA,

Tertia de peccato veniali, quarta tertio die.

I. *Punctum.* Considera, quàm difficile tollatur ex anima macula peccati venialis vnus, siquidem Sanctorum omnium merita per se sola sumpta, imò omnium Martyrum sanguis per se sumptus, non est sufficiens ad mundandam animam à macula solius peccati vnus venialis, quantumvis minimi, v. g. vnus solius verbi otiosi, etiam sine deliberatione magna, ex fragilitate & inaduerentia parum culpabili, prolati. Hoc vt penetres, statue ante oculos mentis, tam multa & multiplicia merita omnium Sanctorum, etiam Angelorum, etiam ipsius B. Virginis, & tam insignes, & heroicos actus illorum pondera diligenter, quàm magni fuerint: similiter & valorem tam multorum Martyrum, & tamen non possunt abluerè vnã minimam turpitudinem vnus minimi peccati venialis, nisi accedat valor Passionis & mortis Christi, & pretiosissimi eius sanguinis pro peccatis nostris effusi. Obstupece igitur, considerans minimam peccati venialis grauitatem vinci non posse sine Christi sanguinis pretio, à tot meritis, & martyriis Sanctorum: & agnosce magnam cæcitatem tuam, qui non curas addere peccata venialia peccatis, ac si res esset parui momenti, & nullo negotio aboleri possint. Quare in posterum diligentissimè te emenda, fugiendo illa, ac desse & detestare prætèrita.

II. *Punctum.* Considera infinitum valorem

Passionis & mortis Christi, & sanguinis pro te effusi, & hinc agnosce, quàm ingens malum sit, quàm grauis & deploranda infirmitas, ex vno peccato veniali in anima relicta; ad cuius meliorem simpliciter, & absolutè (præter proprios actus hominis ex gratia Dei prouenientes) necessaria sit sanguinis Christi applicatio. Quod vt melius penetres, confer pretium huius sanguinis cum infinito intervallo inferioribus pretiis rerum aliarum. Si enim ad sanandam vnã pustulam in manu & fronte, opus esset vnguento, empto pretio vnus Regni potentissimi venditi, quis negaret graue malum esse, & omni possibili conatu humano vitandam talem pustulam? Cum ergo pretium Passionis Christi, mortis & sanguinis, infinitis partibus superet, non tantum pretium vnus solius Regni, sed infinitorum mundorum, si tot essent; quantam malitiam esse necesse est, vel vnus venialis peccati, tam pretiosum remedium ad sui curationem exigentis? Quã ergo fronte lætari audes, admisso aliquo peccato veniali, quòd tam difficile curatur, & non nisi tam pretioso remedio adhibito, eoque parato cum dispendio vitæ ipsius Dei?

III. *Punctum.* Considera quanto perè magni Dei Sancti vitauerint, & desueverint venialia peccata. S. Ioannes Baptista, idè à teneris annis in eremum secessit, ne (vt canit Ecclesia) *leuis saltem maculare vitam fame possit.* Pondera quis fuerit iste Ioannes Baptista quantis priuilegiis à Deo insignitus, & laudibus, cuius Natiuitas prænuntiata ab Angelo; qui sanctificatus fuit adhuc in utero; quo, Christo teste, *non surrexit maior inter natos mulierum* &c. Si ergo hic Sanctus, tam magnus, tam Deo charus, tam plenus gratia, ad eò etiam verborum otiosorum occasionem declinat, signum est, incredibilem esse turpitudinem venialium peccatorum. Sic etiam S. Catharina Senensis vnã repentinam curiositatem oculorum, circa obiectum non malum admissam, & altera vice, vnũ responsum bonum suo Confessario datum, tantum quia sine præuia consideratione erat prolatum; per aliquot dies amarissimè fleuit. Tu verò, qui nulla ratione huic sanctæ Virgini es conferendus, tot priuilegiis stupendis à Christo cumulata, cur tam facilè, & sine sensu doloris, grauioribus te contaminas peccatis? Confundere, & te emenda. S. Christina Virgo vt pœnas peccatis venialibus debitas ab aliis auerteret, incredibilibus se tormentis exercebat, conficiendo se in ardentissimas fornaces, in aquam bullientem, intra rotas molendinorum, in fluuios glacie coneretros, tempore hyemis. Et tamen grauior est, & turpior macula venialis peccati, seu culpa, quàm ei pœna debita, quæ est effectus talis culpæ. Quare & hinc agnosce, quàm sit detestanda minima culpa venialis. Congregatis itaque ante oculos tuos omnibus talibus peccatis tuis,

intuere quanto perè sedarint animam tuam in oculis Dei, etiam si nullo vnquam peccato mortali eam contaminasses. Cogita ergo quid te facere & pati oporteat, tum vt animam emundes, tam multis turpitudinibus foedissime inquinatam; tum vt pro pœnis Deo debitis satisfacias, tum vt præteritam tepiditatem compenses noua vite sanctitate, & correspondeas Christi erga te charitati, qui pro præparando pharmaco, his tuis infirmitatibus curandis, necessario proprium sanguinem effundere, eum vite propria iactura, dignatus est. Pro quâ eius dilectione ardentissimas age gratias, & ad agendas inuita omnes Sanctos, & omnes creaturas; & implorato eius auxilio, seriam propone fugâ in posterum, saltem 5. peccatorum venialium præcipuorum, in memoriâ 5. vulnerum Christi Dei ac Redemptoris tui.

MEDITATIO DECIMATERTIA.

Quarta de radicibus peccatorum venialium, prima quarto die.

I. Punctum. Considera primam radicem peccatorum venialium esse, affectum amoris inordinatû erga personas: ex quo fit, vt ne illas contristes, in gratiam illorum facias vel omittas ea, quæ non deberes: quæ autem sint illa, breuiter in memoriam reuoca, cum quodam sensu confusionis, & doloris.

Porro quàm hoc indignum sit, & cum magno Dei contemptu coniunctum, agnosces, si comparaueris, non dico eas personas, quarum gratia peccas venialiter, sed omnes Sanctos in terra degentes, si (quod absit) in eorum gratiam aliquid faceres: inuenies enim te maiora bona posse & debere sperare à Deo, maiora mala timere, quàm ab illis personis, à quibus, quia vel optas aliquid, vel times, ideo earum causa Deû offendis. Nonne ergo id indignum est? Nonne Dei contemptum præferet? Erubescit igitur; deprecare culpam, pete veniam, dolo, & propone emendationem firmam.

II. Punctum. Considera secundam radicem peccatorum venialium esse, vel tacitam vel expressam auersionem animi ab aliquâ persona, siue ob naturalem complexionem tuæ complexionis non arridentem, siue ob aliquam ab ea datam causam offensionis, vel iustæ (vt sunt monita iusta & his similia) vel iniustæ, vt sunt aculei verborum, & similia. Hic quoque inquire, quàm indignum sit, & Deo iniuriosum, auersioni culpabili, quam foves erga filium Dei, erga redeuntem à Christo, hæredem Regni cælestis, Deo charum, adhuc addere aliam Dei ipsius offensam, scilicet illa peccata, quæ admitti solent cogitatione, verbo, & opere, contra eos, à quibus abhorremus. Ex altera parte, te introspece, quomodo non minus, aliis tu præbeas oc-

casione molestiarum; tamen amari vis, vel nihil pati eorum, quæ alter à te patitur, sæpè nullam vel leuiorem ob causam. Propone ergo in posterum, rationis rectæ dictamen sequi, non affectum corruptum; & Dei imaginem rationalem honorare, cauendo ab iis, quæ ei sunt contraria & nociua.

III. Punctum. Considera tertiam radicem peccatorum venialium esse, debilem fidem, obfuscata à prauis affectibus, de Dei præsentia, omnia intima nostra intimè aspicientis. Nam si non audemus peccare, altero, quem reueremur, spectante; nunquam auderemus admittere vllum veniale in oratione, in recreatione, in schola, in campis, in cubiculo, & alibi, si viuax in nobis esset fides, Deum esse præsentem, & nostra omnia considerantem, & videntem. Hic quoque agnosce, te vel non credere hoc dogma fidei, de Dei videntis omnia occultissima, reali præsentia, vel si credis, te plurius facere Superioris v.g. vel alterius personæ, oculos quàm oculos Dei, quod an non sit Dei contemptus, perpende, & debitam propone emendationem. Sic & alia videris non credere, quod scilicet tam seuerè peccata puniat.

Colloquium, vt supra.

MEDITATIO DECIMAQUARTA.

De Inferno, secunda quarto die.

I. Punctum. Considera grauitatem pœnarum Inferni ex punctis illis, quæ ponuntur in Exercitio de Inferno: ad quam magis penetrandam, perpennenda est primò pœnarum æternitas, secundò intensio, erunt enim maximè in suo genere, tertio immutabilitas, quia temporis progressu non minuitur eorum sensus: quatuò vniuersalitas, quia erunt vbique in omnibus sensibus, membris, potentiis internis, & externis: quinto vniuersitas, nam simul erunt omnes, & vna non succedet alteri: sexto carentia omnis consolationis & recreationis: septimò continuitas, quia non tantùm erunt per totam æternitatem, sed nunquam interruptentur: octauò societas, quia erunt aliorum damnatorum pœnæ ciuitatûque molestissimi. Hinc concipiendus timor Inferni, & odium peccati, quod est eius causa.

II. Punctum. Considera profundè hanc rem: si Christum animam aliquam liberaret ex illis pœnis, quid Christi causa non faceret in hoc mundo? quid non pateretur nominatim, primò nonne abstinere curaret ab illis peccatis, & negligentis, quæ te reddunt tepidum, & non adificationem? secundò nonne ei viderentur dulcia, & rationabilia, quæ te adeò molestant, & quæ tibi videntur non ferenda, vllò modo in hac vita, vel Religionis statu? ita sine dubio, tertio nonne libenter illos labores, & occupationes, & loca amplecteretur, à quibus tu adeò fugis?

III. PUN-

III. Punctum. Considera maius beneficium in te contulisse Deum, non detrudendo te toties ad Infernum, quo dignus eras, quam conferret liberando aliquam animam ex Inferno; quia huius beneficium esset, carere illis pœnis: at qui tu etiam illis careres: præterea, habes beneficium aliqd, quod illa non habuit, quia non es passus illas pœnas. Si ergo illa anima ad tria illa posita in secundo puncto se resolveret efficaciter, quãtò magis tu debes te resolvere; quandoquidem maiore beneficio es cumulatus? Resolue ergo te saltem ad illa tria, quin etiam plura adde heroica; quæ correspondant tantæ Dei erga te charitati & tam multis demeritis tuis & peccatis: æternis ipsi cruciatibus dignissimis.

In Colloquio gratias age Deo, quod te non damnauit, toties dignum Inferno: desse peccata præterita: pete veniam: adhibe intercessores: propone emendationem, & satisfactionem pro illis, per tolerantiam omnium amaritudinum & molestiarum, quas pati potes in hac vita, siquidem sunt minores pœnis inferni &c.

MEDITATIO DECIMAQVINTA.

De Morte in genere, tertia quarto die.

I. Punctum. Considera necessitatem bene moriendi, quæ maior est ad vitam æternam consequendam, quam vita bona, sine perseverantia. Considera etiam difficultatem præparandi se bene ad moriendum in vicijsa agritudine, ob dolorem, morbos, demonis tentationes, scrupulos, separationem animæ, timorem Inferni &c. quæ animum reddunt valdè perturbatum & ineptum, non tantùm ad actus intensos amoris, vel doloris faciendos; sed etiam ad remissos; ad quos inepti sumus, dum sani sumus, si vel deambulatione vel vigilia noctis vnius debilitati sumus. Igitur nunc te parare debes ad mortem quando es sanus, & vegetus.

II. Punctum. Considera, paratissime es? ad hoc agnoscendum examina duo: primò, estne aliquid in conscientia tua, cum quo, nisi per confessionem illud elueres, vel per resolutionem, & consilium quaesitum elucidares, nolles ex hac vita discedere? secundò, morerisne iam læto, non solum quieto animo? quia etiam seculares quietè, id est, sine periculo salutis, & metu damnationis, hinc discedere debent. Religiosi autem mors pluribus ornanda rebus est. Ideò resolue te ad duo: primò ad tollenda ea quæ te molestia, vel dubitatione aliqua vexant: secundò, propone ita semper in posterum te visiturum, vt quouis momento paratus sis ad moriendum, etiam non vocato Confessario aut Consolatore.

III. Punctum. Considera, mortuo corpore, quid proximè iuuet animam, primò, bona opera hic facta; secundò, intercessio Sanctorum in

hac vitâ conciliatorum. Vide ergo quomodò in hac parte te gerere debeas.

IV. Punctum. Considera si iam moriturus esses, viderentur tibi insupportabilia, quæ nunc vel circa gradum, vel circa quiddam aliud in Societate, videntur? Ita ergo geres te nunc, quomodò in puncto mortis te gereres circa talia.

In Colloquio gratias age Deo, quod hæcenus non sis malè mortuus: quod Deus te tolerauerit: veniam pete, & gratiam bene moriendi, & simul bene viuendi, & præparandi te ad bonam mortem. Propone vitæ emendationem offer Deo hanc voluntatem &c.

MEDITATIO DECIMASEXTA.

De Morte Tepidorum, quarta quarto die.

I. Prælium. Imaginare te morti proximum, de quæ ea instante monitum à Confessario.

II. Prælium. Pete ardentè gratiam à Deo, cognoscendi nunc illum tuum statum, in quo tunc eris, & maturè declinandi causas malæ mortis.

I. Punctum. Considera magnos animæ cruciatos, quos habebit tepidus in hora mortis ob respectum Dei, primò quia eum tam multis peccatis offendit: secundò quia tam tepidè & negligenter eius obsequia expediuit: tertio quia propter malam vitam suam vel Infernum vel Purgatorium grauissimè promeritus est. Ad cognoscendos autem hos animæ angores & cruciatos, bonum est meminisse multò minorum angorum, quos sentire solent, vel discipuli, dum timent pœnas à Magistro, admissò aliquo crimine, vel subditi à superiore, vel incarcerati & capitis rei à severo Iudice. Si enim pœnarum istarum leniorum metus, multos conturbat ad eò, vt etiam sibi manus inferant, & aliqui præ timore exanimantur; quãtò magis extruciabitur anima metu Iudiciorum Dei, ex quibus pendet tota æternitas, in illo vnico momento! Quocirca ne sis obnoxius istis angoribus in illo momento, cogita, quid tibi nunc faciendum sit, ne Diuinum Iudicium, & pœnas tunc expavescas.

II. Punctum. Considera grauià impedimenta, & multiplices insultus demonis, quibus tepidum sub tempus mortis infestare solet, vt eum ad desperationem inducat. Cùm enim iam breue tempus habeat, demon ad tentandum, summo conatu inuadit tepidum; & quia, & ingenio pollet, & experientiam habet, & mille rethnas ad seducendum, validissimè impugnat, & periculosissimè. Ex altera parte, tunc tepidus exiguas vires habet ad resistendum; hæc enim à feruentibus virtutum exercitijs (quibus ipse nõ vacabat ob suam tepiditatem) acquiruntur. Vn-

de in summo periculo tepidus moritur: quia debilis cum sit, potentissimum & astutissimum aduersarium habet, & quia negligentissimè viuit in Dei famulatu, caelestibus auxiliis dignus non est. Quomodò ergo tunc resistet tentationibus? Caue ergo huic periculo te exponas: maturè delibera, quomodò te ad illum congressum instruere debeas, ne in certamine succumbas.

III. *Punctum.* Considera ipsum statum corporis & conscientiae tepidi in hora mortis. Ipsa enim conscientia, etiam sine vilo tentatore, extruciatur interno remorsu grauissimè: quia ipsum lumen naturæ tunc clarè illi explicabit fœditatem peccatorum, & tepiditatis, ideoque mœrore, dolore, tædio, amaritudine, timore, erit plena anima: & quia non est conscia se diligenter Deo seruasse, non audebit erigere animam ad tantam in Deum fiduciam, quanta illi necessaria est. Ex altera parte, corpus habens ob morbos languidum & semimortuum, non potest elicere actus feruentes & intensos, quibus peccata desleat, Deumque placet. Accedentè varij graues scrupuli, qui desperationis tentationes valdè fouebunt. Si enim nunc homines sancti, & valdè feruentes non rarò grauissimis cœficiuntur scrupulis, vsque ad eò, vt nec confessarij, nec Superiores possint illos quietos reddere, post tot confessiones generales diligentissimè factas, quanto magis tunc tepidi & negligentes, qui multas dederunt causas grauissimis scrupulis, ab iis infestabuntur? Hinc agnosce pessimum fore tunc statum hominis tepidi in tot malis & periculis constituti. Quare nunc delibera, quomodò corrigere debeas præteritam tepiditatem, & quibus medijs te armare ac præparare, ne ad tam malum moriendū statum deuenias.

Colloquium vt supra in præterita Meditatione.

MEDITATIO DECIMASEPTIMA.

De Iudicio particulari, prima quinto die.

I. *Preludium.* Imaginare Christum omnibus Angelis & Sanctis circumdatum, à te, in puncto mortis & vitæ ultimo, rationem exigere volentem, daemionibus propè astantibus, & accusaturis.

II. *Preludium.* Pete gratiam à Christo Iudice, vt tibi nunc det agnoscere ea, quæ in iudicio particulari tui velles non extare in animâ tuâ, & ea, per media Ecclesiæ relicta, quamprimùm ex animâ tua, & ex tota vitâ tua abigere.

I. *Punctum.* Considera magis pendere salutem tuam à iudicio particulari, quam ab vniuersali: in hoc enim nemo damnabitur, absolueturque, qui in particulari non fuerit damnatus, absolutusque. Ideò danda est operâ, vt exa-

men vitæ tuæ in iudicio particulari (quod peragetur statim à dissolutione animæ tuæ à corpore) benè succedat. Quid autem sit necesse ad eius bonum successum, scies ex reuocata in memoriam Ecclesiæ doctrina, de modo abolendorum peccatorum ex anima, & de modo satisfaciendi pro iis in hac vitâ, & de valore bonorum operum.

II. *Punctum.* Considera in iudicio particulari nullum fore locum misericordiæ, sed omnia examinanda in rigore iustitiæ. Item tunc nulla ad futura remedia ad liberandam animam à peccatis & pœnis debitis, quæ nunc adhiberi possunt. Nam sacramentorum vsus tunc nullus esse poterit, actus quoque meritorij nulli tunc poterunt elici, quia meriti tempus solum est huius vitæ tempus. Vnde sequitur, hinc quaerenda esse remedia ea, quæ prodesse possunt, ad hoc, ne examen fœnerum & strictum Iudicis Christi te condemnet.

III. *Punctum.* Considera hoc tui iudicium fore omnium grauissimum, maximeque terribile, siue pœnam spectes, quæ tunc pro peccatis assignabitur, siue Iudicis omnia noscentis oculatissimam scientiam, siue eius potentiam in executione sententiæ latæ, siue eius iustitiam, quæ nullis fœcti poterit artibus, siue eius rigorem in iudicando. Nam idem erit Iudex, qui offensus fuit toties & grauissimè ab iis, quos iudicabit. Idèd maiore timore expectandum est hoc iudicium, quam soleat expectari ab hominibus conscis sceleris digni capitis pœna. Ne autem timere cogaris hoc iudicium, ea adhibe nunc, quæ homines rei adhibere solent ne in iudicio iusto condemnentur.

Colloquium, vt supra.

MEDITATIO DECIMOCTAUA.

Secunda quinto die.

Fructus primæ hebdomadæ.

Consideratis præcipuis propositis præteritarum Meditationum, deliberandum est coram SS. Trinitate, vndique SS. Angelis circumdata & SS. Patronis, de his rebus;

Primò. An debeam esse contentus, vt quotidie sine causa vlla affligar, verbis & factis, à Superioribus & Inferioribus?

Secundò. An euidentibus calumniis in rebus gratis mihi illatas, & me valdè infamantes, debeam æquo animo sine vilo proflus desiderio vindictæ tolerare?

Tertiò. An circa victum, vestitum & cultum corporis, & habitationem, debeam rebus vilissimis, & cum magnâ sensuum repugnantia contentus, vt libenter, si ita Superiores permiserint, aut voluerint?

Quarid. An debeam in omni loco, vt Civitate

tate, Prouincia Collegio, cubiculo, & cum omniali persona, à qua maximè sensus mei abhorrent, & inclinatio animi, viuere tota vita mea, si ita placuerit Superioribus?

Quind. An sit aliquod tale officium, aut vile, aut molestum, in Societate, quod non debeam vsque ad mortem peragere, si ita Superioribus visum fuerit?

Sextid. An debeam omnia & singula facta & dicta aliorum contra meam existimationem, iudicium, voluntatem, tanquam mihi conuenientia, & debita, æquissimè tolerare?

Septid. An debeam pro peccatis meis, & pro penis Inferni, quas promerui, & pro beneficiis diuinis, quæ accepi, ita esse resignatus, & paratus semper ad Dei, Superiorum, Fratrum voluntatem exequendam efficaciter, vt omnia proffus velim facere, præter solum peccatum, & vt nihil aliud sit, quod tota vita mea nolim facere, & solum peccatum meum sit, de quo conqueri debeam, & nihil prætereà aliud?

Et cum ad hæc omnia toleranda cogant te tot peccata, pro quibus, his rebus satisfacere potes, & tot mala, quæ Christus tui causa pertulit, his multò maiora; & tot beneficia Dei in te collata, & tot præmia, quæ tibi sunt præparata, si hæc toleraueris, & status vitæ Religiosæ, qui est status penitentia, hoc ipsum exigat, resolue te ad omnia supradicta, non tantùm patienter, sed etiam libenter toleranda. Offer Deo hanc voluntatem in vnione omnium Christi iniuriarum & dolorum, passionis ac mortis eius, peteque gratiam semper post Christum has cruces, & his maiores ferendi, vt ita peruenias ad cælum per multas tribulationes.

MEDITATIO DECIMANONA.

Tertia quinto die. De Regno Christi, circa quod sufficit punctum vnum Meditationis, cum eius 4. partibus ad hanc Meditationem.

Considera, quibus in rebus debeas Christum Regem imitari, potissimum autem in quatuor:

Prima, vt quam maximè accedas ad Christi impeccabilitatem, peccando rarissimè, leuissimè, & in delibetate.

Secunda. Omnes actiones faciendo quam perfectissimè, hoc est, iuxta quadruplicem ideã, cui te conformare debes, scilicet, iuxta Regulas, iuxta communem & ordinarium modum procedendi Societatis, iuxta Superiorum directionem, & iuxta lumen internum, quod tibi Deus communicat, prioribus tribus ideis conforme.

Tertia, eniti debes, vt in omnibus actionibus tuis Dei gloriam quæras, eamque quam maximam, sicut Christus quæsiuit.

Quarta. Vt patiaris ad similitudinem Christi cum his conditionibus: primò, etiam sine vlla culpa, secundò, in omnibus rebus, in quibus pati potes, & quoad corpus & quoad animam, tertio, sine cessatione, si fieri poterit, & continuò, quartò, grauissima quæque, & maximè iniuriola ac molesta, præsertim propriæ existimationi, proprio iudicio, propriæ voluntati, propriis commoditatibus corporis in cibo & potu, in loco habitationis, in ipsa habitatione, in occupationibus & laboribus, in vestitu, ac recreationibus & similibus.

In Colloquio petes veniam à Christo ob præteritam vitam tam malè transactam. Pete gratiam, quæ te erigat ad nouam vitam. Gratiàs age, quod tibi permittat, vt possis te illi reddere quam simillimum, & quam proximè ad eius in cælo gloriam accedere. Denique offeres illi aliqua peculiaria proposita, seu res, in quibus illi imitari cupis in posterum; concludendo Colloquium illo responso, quod est in fine Contemplationis de Regno Christi: *En, ô Rex supremè &c.* vel alio simili.

MEDITATIO VIGESIMA.

De imitatione Christi, quarta quinto die.

Oratio præparatoria more solito.

I. *Preludium.* Imaginari Christum Dominum in pulcherrimo throno cælesti sedentem, à multis Sanctis, qui eum egregiè in hac vita sunt imitati, circumdatum, præsertim à Sanctis Societatis nostræ: sedentem autem & à te exigentem sui imitationem, ac exprobrantem tibi in conspectu Sanctorum, quod aded refugias eius imitationem.

II. Preludium. Petere à Spiritu sancto gratiam cognoscendi causas cognitione viua & efficaci, ob quas debeas Christum imitari quam perfectissimè, & res in quibus eum debes imitari, præcipuas.

I. Punctum. Considera præcipuas actiones tuas, præsertim illas, quæ ad Dei cultum immediatum spectant, & alias circa conuersationem cum proximo, an & quomodò sint similes actionibus eiusdem Christi; & postquam agnoueris valde esse dissimiles, reuoca in memoriam similes actiones aliorum seruorum Dei, siue viuorum, siue mortuorum, quam longè te superent Christi imitatione, in actionibus suis ad Christi exemplar ordinandis. Cum ergo & tu equè poteris esse bonus, atque fuerint illi, quia eadem habuisti auxilia, quæ illi, & fortè maiora; caruisti illis impedimentis, quibus caruerint illi, imò fortè maioribus, quam illi. Vnde confundere, in eua tuam socordiam, veniam pete, & te emenda.

II. Punctum. Considera causas, ob quas debeas imitari

imitari Christum. Causæ autem possunt esse hæc. Prima, quia etiam sæculares ad hoc tenentur; nam & illis Christus est propositus, tanquam exemplar virtutum imitandum. Secunda, quia omnes Religiosi propter hunc finem vocati sunt ad Religionem. Tertia, quia hoc peculiari modo incumbit hominibus Societatis Iesu, ut Iesum imitentur, ideoque sic sunt appellati. Quarta, ipsa præstantia imitationis hoc exigit; imagini enim Dei, quæ sumus nos, non est convenientior præstantia, quam esse simillimam exemplari suo. Quinta, quia in omnibus aliis occupationibus nostris terrenis procuramus esse quam excellentissimi; si versus scribimus, conamur ut quam optime scribamus; si concionamur, vellemus hoc facere cum magno plausu; ita si disputamus &c. Quam ergo indignum est, actiones viliores velle esse perfectissimas in suo genere, secus illas, quibus nos reddimus Deo similes, per quas multos gratiæ & gloriæ thesauros penè quouis momento lucrari possemus, si nobis attenderemus, & Diuinæ gratiæ cooperareremur. Resolue ergo te ad feriam emendationem.

In Colloquio pete veniam à Christo Iesu, quod eum hæcenus non sis imitatus tam perfecte, uti debuisti: propone emendationem: postula gratiam à Christo Iesu ad vitæ emendationem: inuoca B. V. Mariam & alios SS. ut tibi hoc impetrent.

MEDITATIO VIGESIMA PRIMA.

Prima sexto die.

De Incarnatione & de liberalitate, quam debemus Deo pro beneficio Incarnationis.

Post orationem præparatoriam, & præludium primò faciendum pro libitu, in secundo præludio pete gratiam à Spiritu sancto, ut penetres liberalitatem Dei in beneficio Incarnationis, & respondeas diuinæ liberalitati.

I. Punctum. Considera Deum in Incarnatione dedisse summum, quod dare potuit; nimirum Diuinitatem in persona Verbi, vniendo illam humanitati à se creatæ; idque pro omni possibili bono tuo, cuius beneficij magnitudinem cum nec Angeli capere possint, ided gratias age pro tanto beneficio, & agnosce titulo gratitudinis (etiam si Deus hoc à te non exigeret) debere te factis ostendere gratitudinem erga Deum pro tanto beneficio.

II. Punctum. Considera morem Nobilium & generosorum hominum, quomodo ostendant gratitudinem erga benefactores suos pro beneficiis acceptis. Primò, conantur (& faciunt) maius beneficium præstare, si possunt, quam acceperint, quia, ut ait S. Thomas, *Gratia recompensa-*

2.2 q.106.
2.6.

tio semper tendit, ut pro suo posse aliquid maius retribuatur. Et S. Ambrosius. *Nec mensura pari, sed vberiori reddendum beneficium arbitror; Etenim superiorem non esse in referendo, quam conferendo beneficio, hoc est minorem esse. Imitanda est nobis in hoc natura terrarum, quæ susceptum semen multiplicatione solet numero reddere.* Secundo, non expectant ut benefactores ab ipsis petant remunerationem beneficij, sed statim remunerantur, si possunt. Tertio, si statim non poterant remunerari, ob id valde affliguntur, & optant quam citissimè signum grati animi exhibere. Si ergo erga homines his modis demonstratur grati animi significatio pro beneficiis acceptis, multò magis hoc ipsi meretur Deus, ut saltem illum ita tractemus, ut Benefactores nostros. Proinde pro beneficio tanto Dei Incarnati tua ista Deo præstanda sunt.

III. Punctum. Considera liberalitatem non esse in hoc sitam, ut detur benefactori, id quod ei debetur ex aliquo contractu, vel ex obligatione restitutionis, vel ex mandato Domini, vel ex promissione, vel ex spe aliquid æquiualens obtinendi, sed in hoc consistit, ut des quod non teneris dare etiam titulo gratitudinis. Unde sequitur, te debere tuam liberalitatem demonstrare Deo, si non in donatione rerum, quas nõ teneris dare, saltem in exequendis illis rebus, quas ei promissisti, vel ex obligatione voti, vel promittendo seruare Regulas, & postea diuinas inspirationes, ac bona propolita facta in oratione, vel lectione spirituali, vel in concione, aut exhortatione. Reflexe te ergo quomodo in illis rebus pro tanto beneficio debeas te exhibere gratum & liberalem erga Deum, saltem eo modo, quo soles exhibere erga benefactores homines pro minoribus beneficiis.

IV. Punctum. Considera cum exacta reflexione omnia dilectilia, quæ te hæcenus afflixerunt in Religione, & quæ deinceps times, ne eueniant, uti sunt, non promoueri ad certos in Religione gradus & officia speciosa &c. an non mereatur Deus pro sua Deitate & Humanitate tibi donata, tam multa passa sine sua culpa, ut ei donemus nunc, & in posterum in quavis occasione, omnia quæcumque passi sumus, & alia possibilia, quæ pati possumus. Resolue te ergo generoso animo Deo pro te Incarnato donare omnia, quæ hæcenus passus es, non optando vllam satisfactionem in hac vita, & ne quidem in altera, & obliuisci omnium, nec in mente tua reminisci, nec coram vilo vnquam commemorare; sed perseverante silentio premere omnia, & offerre te ad omnes illas aduersitates & iniurias, quas Deus incarnatus in Humanitate assumpta propter te passus est, patienter, libenter & cum exultatione. Præsertim cum Ethnici talem erga homines voluerint esse liberalitatem, ut pro beneficio dato nil quarat, nil speret. Ita Aristoteles & Seneca, & aliter collata beneficia

Plin. l. 9.
cap. 30.
Sen. l. 4.
de benef.
cap. 23.

ficia Plinius vocat *Viscata & hamata*. & Philo-
talem liberalitatem appellat *liberalitatem piscato-*
rum. Deinde, vt beneficium sit res aliqua exi-
mia data libenti & generoso animo. *Due res in-*
quit Seneca, coire debent, vt beneficium efficiant. Pri-
mum, rei magnitudo; quedam enim sunt infra huius
nominis mensuram. Quis beneficium dixit, quadram
panis, aut stipem aris abiecti, aut ignis accendendi pote-
statem: Et interdum ista plus prosunt quam maxima.
Deinde quod potissimum est, oportet, accedat, vt eius
causa faciam, ad quem volebam peruenire beneficium,
dignumq; eum iudicem, & libens id tribuam, perci-
piensq; ex munere meo gaudium. Hæc potèda lū-
mine naturæ agnita à Seneca, & proportione
quadam applica ad id quod Deo ex liberalita-
te dare debes, vt sit res eximia; propter eum
purè, & animo libenti eum gaudio oblata.

MEDITATIO VIGESIMASECVNDA.

Secunda sexto die.

De Christi natiuitate, prout est in Exer-
citijs, qua locupletanda est punctis se-
quentibus:

Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus
est esse se equalem Deo, sed semetipsum exinani-
uit formam serui accipiens, in similitudinem homi-
num factus, & habitu inuentus vt homo. Ad Philip-
pens. 2.

Primò, Considera Deitatem in persona Ver-
bi, propterea esse exinanitam, quia assumpsit
formam, id est, substantiam, serui; scilicet natu-
ram humanam; quæ cum creatura sit, serua Dei
est, etiam in Christo; quamobrem Christus vo-
catur seruus, Iaiæ 42. v. 1. & cap. 49. v. 3. & ca. 52.
v. 13; scilicet, ratione naturæ humanæ, satio mo-
do rem intelligendo, vt explicatur in tertia par-
te. Ratione huius naturæ assumptæ exinaniuit
se Deus in his septem rebus: In æternitate, im-
mortalitate, impassibilitate, infinitate, omnipo-
tentia, omniscientia, impeccabilitate; partim
quia verè ratione naturæ humanæ factus est
non æternus, mortalis, passibilis, finitus, & cir-
cumscriptus loco; partim quia ex malitia & in-
scitia hominum habitus est pro vero filio fabri,
pro debili & impotente, & pro nesciente oc-
cultus, & pro peccatore ac malo, & cum dæmo-
nibus habente commercium. Cum ergo & ti-
tulo gratitudinis, & ob alia motiua, quæ per te,
adiutus à lumine Spiritus sancti, inuenies, de-
beas pro Deo te exinanire; cogita quibus in re-
bus debeas Dei causa citò & generosè te exi-
nanite, vel assumendo verè ea quæ antea non
habuisti, tui humiliatiua, vel optando vt de te
cogitentur ea quæ tuum statum personalem
dedecent, & vilem faciunt, ac permittendo, vt
ita tracteris, & non impediendo. Quæ in re def-
eunde ad particularia, & ea Christo incarnato

offer, tanquam fructum eius exinanitionis, In-
carnationis, Passionis, & Mortis.

Secundò, Considera stabilitatem exinanitio-
nis Dei in persona Verbi, quia naturam huma-
nam causam intrinsecam suæ exinanitionis ar-
ctius & fortius suæ personæ vniuit, quam sit vl-
la alia vniò creata in creaturis. Omnes enim
vniões creatæ purarum Creaturarum dissol-
uuntur, & rediguntur in nihilum à rebus con-
trariis; ipsa omnium arctissima vniò formæ
cum materia etiam in homine per mortem dis-
solvitur: at vniò hypostatica naturæ humanæ,
cum persona Verbi, causans ei supradictas exi-
nanitiones, nec quidem per mortem dissoluta
est, iuxta illud axioma Theologicum: *Quod se-*
miel assumpsit, numquam dimisit. Vide ergo quàm
constanter & immutabiliter debeas ex puro
Dei amore permanere in exinanitionibus tuis,
in primo puncto Deo oblatis; etiam si tibi ob il-
las exinanitiones, Dei causa susceptas, esset mori-
endum, morte infami, sicut pro te mortuus
est Dominus tuus, eousque exinanitus.

Tertiò, Considera extrinsecas exinanitiones,
quas Christus Dominus toto vitæ suæ tempore
suscepit, tam malis tractationibus, quas passus
est à Iudeis, & à discipulis, etiam à domesticis
à quibus habitus est pro stulto, eousque, vt eum
ligare voluerint. Admirare cor Christi, adeò
inflatiabilem habens amorem exinanitionum, &
confer omnes tuas, quas passus es aduersitates
& difficultates molestas amori proprio tuo: ag-
nosces enim esse nullius momenti, respectu
exinanitionum Christi per te susceptarum. Re-
solue ergo te ad induendum cor Christi, vt si-
cut ille, tui causa, patienti, libenti & læto ani-
mo, tot exinanitiones suscepit, per 34. annos, ita
tu longè minores deinceps suscipias reliquo vi-
tæ tempore, sine fuga earum, sine murmuratio-
ne, sine querelis, imò sine simplici commemo-
ratione, sed cum perpetuo coram hominibus
silento, & ne quidem coram Deo de iis expo-
stulando.

Colloquium institue, primò agendo gratias
singulis diuinis personis, quæ ad Christi exi-
nanitiones suis modis concurrerunt, permittendo
multa eum pati, & volendo vt naturam huma-
nã susciperet fontem eius exinanitionum. Se-
cundò, age gratias Christi Humanitati, quæ ita
exinanita, & tãta passa est, tui causa. Tertiò, dole
quod tua peccata fuerint occasio istarum Chri-
sti exinanitionum. Quartò, detestare tuam in-
gratitudinem, quod non corresponderis Chri-
sto exinanito, toleratione tuarum aduersita-
tum, & difficultatum. Quintò, offer SS. Trinitati
per Christum resoluta proposita de amandis
deinceps & non declinandis vllis exinanitioni-
bus tuis, quæ tibi domi vel inter externos con-
tingent. Sextò, pete efficacem gratiam hæc pro-
posita semper exequendi. Septimò, roga Chri-
stum, tui causa exinanitum, vt te per viam exi-
nani-

nanitionum, quam ipse tenuit, ducat ad perfectionem & ad cœlum, & exemplo S. Catharine Senensis renuncia Christo exinanito pro te, coronas aureas bonarum de te opinionum, bonæ famæ, rerum, officiorum, & graduum honorificorum, & libertatis tuæ usum in rebus eligendis, & amplectere spinea coronas rerum illis contrariarum. Octauo, inuoca B. Virginem, Angelum custodem, & omnes Sanctos, ut suis precibus te ad hæc omnia iuuent.

MEDITATIO VIGESIMATERTIA.

Tertia sexto die.

De duobus Vexillis, prout est in Exercitiis.

IN hac meditatione hoc maxime curandum est, ut excitetur affectus ad vocationem in Societate, & magna opinio de illa, tanquam de Ordine, ipsius Christi, & Apostolorum viuendi modum exprimente. Deinde ardens desiderium, & in te & in aliis, illa quam perfectissimè, & citissimè extirpandi quæ demon plantare nititur, & inserendi illas virtutes, quas præcipue Christus à nobis exigit; potissimum autem has, puritatem cordis, amorem paupertatis, contemptum nostri, desiderium & amorem perpetuæ crucis, magnum feruorem & diligentiam in deuotionis exercitiis, & exactam obseruantiam illarum Regularum, quas aliqui paruas appellant, & sæpius transgrediuntur.

MEDITATIO VIGESIMAQUARTA.

Quarta sexto die.

De tribus gradibus Humilitatis, de quibus in Exercitiis.

EX tribus gradibus humilitatis, prout sunt positi in libro Exercitiorum, sunt tria puncta; in quolibet autem graduum horum considera diligenter duo.

Primò, Causas, seu motiua ob quæ debes ita viuere, prout exigit quilibet horum graduum.

Secundò, quomodo hætenus vixeris: si nõ iuxta hos gradus, dolo, desse tuos mores, propone emendationem; si iuxta eos vixisti, Deo age gratias, pete perseverantiam in tali modo viuendi, & te magis cum diuino auxilio in his gradibus perficere stude.

Qui verò faciunt Exercitia, maturi in Religione, & perfectius viuentes, quam tirones, & alij, secundum & tertium gradum diligenter ponderent in meditatione: sunt enim omnibus in quouis gradu & statu valde necessarii, & magis sensibus quam iuuenibus, propter multas occasiones rerum aduersarum, quæ minus senes quam iuuenes deberent impetere, sed solent eos magis inuadere, si sunt Deo chari & perfectius viuentes quam alij.

MEDITATIO VIGESIMAQUINTA.

Prima septimo die.

De tribus Religiosorum classibus, seu differentiis.

Primò. Considera quosdam in Religione esse, qui præter habitum, & caeremonias exteriores, & actus quos obeunt in oculis aliorum, aliud non curant. Nam & vota non seruant, dum possunt ea violare aliis non cernentibus, & Regulas non seruant, dum eas possunt nullo cernente transgredi. Vide, quàm sint infelices tales; tum propter alias causas, quæ tibi occurrunt, tum quia tales nec commodis sæculi fruuntur, vti alij sæculares, nec bonorum Religiosorum gaudent priuilegiis, quæ à Deo concedi solent pie in Religione viuentibus. Vnde illis congruit illud dictum S. Basilij: *Et senatorem perdidisti, & te Monachum non fecisti.* Tu an sis, vel fueris ex hac classe, vide; & ne sis, stude; & si fuisti, dolo, veniam à Deo pete, & te emenda.

Secundò. Considera alios esse in Religione, primis meliores, qui curant utcumque vota sua, & Regulas seruare: sed nec omnes, nec cum eâ perfectione, vti deberent, & tepidè sua expediunt, & magis sunt solliciti, ut occupationes sibi impositas cum applausu hominum expediant, quàm ut sint perfecti, & sancti. Ideo toti sunt in parandis rebus pro suis occupationibus necessariis, & totos se in immergunt, vel docendo, vel studendo, vel concionando, vel gubernando alios. Vnde fit, ut vix aliquando cogitent seriuè & cum applicatione animi ad proficiendum in dies in virtutibus. Hi quàm sint etiam in statu malo, considera; spectato fine, ob quem ad Religionem vocati sunt, & mediis quæ habent ad finem consequendum, & ad Euangelicam perfectionem assequendam, talium an sis vel fueris è numero, vide: & ut prius, pios decerpe affectus & resolutiones ad vitam emendandam.

Tertiò. Considera tertiam classẽ Religiosorum, qui sollicitè conantur viuere, sine defectibus duarum classium supradictarum, & ferè semper in memoria habentes finem suum; ob quem ad Religionem à Deo vocati sunt, magna diligentia omnes Regulas, etiam minimas, seruare conantur, & in omnibus eodem modo procedant, vti solent perfecti, & perfectionem omni modo curantes. Horum status felicitatem perpende, quàm illi sint Deo & cælitibus grati; quàm sint grati Superioribus, & bonis locis; quàm inuili diabolo, & tepidis, inter quos tanquam Martyres incruenti versantur, & censuris ac linguis, ac irrisionibus propter Christum proscinduntur. Sed etiã hanc ob causam perpetuò congregant sibi innumeros meritorum cumulos,

mulos, cælestis gloriæ coronas post mortem alaturus. Horum ut sis è numero Deum & SS. ora. & quid tibi sit necessarium considera, & resolute ad tollenda omnia impedimenta; & præcipua annota, ut deinceps ab iis tanquam à facie colubri fugias quàm longissimè.

Conclude iuxta tria colloquia de duobus vexillis. Amen.

MEDITATIO VIGESIMASEXTA.

Secunda septimo die.

De oratione Christi in Horto.

I. Punctum. Considera 4. angores Christi in Horto orantis, separati à conspectu Discipulorum, genu flectentis, & procidentis in faciem, & petentis cum resignatione, ut liberaretur ab illo amaro calice passionis, quem delicatissima eius natura horrebat sine vlla culpa. Et tum ob præuisos clarè cruciatu instantis passionis, & mortis, tum ob innumeros homines damnandos ipsorum culpa, quos præuidebat non fore participes fructuum sue mortis & Redemptionis; tum ob dolorem, quem erat perceptura Mater eius charissima cū aliis Apostolis & mulieribus sibi addictis, ex visa eius crudeli tractatione; cepit tristari, & timere, & tædio affici, & præ acerbitate horum angorum internum, agonizare. Admirate hunc Christi Deū clarè videntis statum, qui tui causa ita animam suam his angoribus quodammodo comprimere voluit de industria. Adora animam eius sic pro te afflictam. Ama tui causa sic se excruciantem, & in spiritu, tenero affectu osculare, gratiasque age pro tam amaro pharmaco, quod propter bonum tuum bibit in horto; & gratias intergo resolute te ad omnes amaritudines in Religione pro Christo libenter tolerandas, contrarias tuo honori, existimationi apud alios, commoditatibus tuis. Denique desidera, ut tota vita tua habeas causas, quæ reddant amarum cor tuum citra culpam, ut Christo talia passus sis cōformis.

II. Punctum. Considera Christi sudorem sanguineum ex vehementia horum angorum prouenientem, & decidentem in terram: simili modo elicias affectus, ut in primo puncto, & incusa & desse tuam impatientiam, qui, ut Apostolus loquitur, *nondum ad sanguinem resuisti*, & ob res parul momenti turbas te, & tuos Superiores, & alios, sæpè etiam in vocatione titubas obnugas, cum factus sis Religiosus eo fine, ut Christum imiteris. Propone ergo feruam emendationem.

III. Punctum. Considera tam acerbos fuisse illos angores animæ Christi, ut oportuerit eum ab Angelo confortari. Hinc agnosce, delicate famule & miles tanti Ducis, quid te oporteat

pati libenter in hac Christi Iesu militia, & statue heroico corde omnia difficillima & possibilissima deinceps pati circa occupationes, circa habitationem, circa victum, circa gradus, denique circa alia omnia.

IV. Punctum. Considera Christi defluentem sanguinem, & in eo tria perpende. Primò, quàm gratum fuerit Deo Patri spectaculum. Secundò, quàm salutare fuit remedium pro nostris vulneribus & peccatis. Tertio, quàm generoso animo pro te à Christo effusum. Et ex singulis proficere stude, & Christum imitari conare, ac cooperari, ne gratis pro te sit toties à Christo sanguis, adhuc ante mortem, effusus.

MEDITATIO VIGESIMASEPTIMA.

Tertia septimo die.

De Christo in iudiciis male tractato.

I. Punctum. Considera Christum ex horto tanquam latronem per plateas ductum; primò ad Annæ Pontificis palatium, & ibi iudicatum tanquam sceleratum, & alapa percussum: deinde ductum ad Caipham, & Concilium Iudæorum, tum ad Pilatum, inde ad Herodem, à quo iterum ad Pilatum reductus est, ubique malè & iniuriosè tractatus, vilipensus, conuiciis proscissus Rex Regum & Dominus Dominantium, idque ob tua peccata: & tandem peius tractatus in domo & iudicio Pilati. Appellarunt enim eum malefactorem, dignum, qui ei iudicandus traderetur; *si non esset hic malefactor, non tibi tradidissimus eum.* Secundò, *subuertentem gentem nostram.* Tertio, Cæsaris imperio perniciosum, eò quòd prohiberet ei reddi tributa: *inuenimus eum prohibentem tributa dare Cæsari.* Quarto, superbum & ambitiosum, quasi sibi immeritò attribueret Messie & Regis Iudæorum dignitatem. *Hunc inuenimus dicentem se Christum Regem esse.* Singula horum considerans, quàm fuerint ignominiosa in se, & quàm repugnarint contrariis virtutibus ornatissimo, compatere Domino tuo, gratus esto: & dilce frænare omnes inordinatos affectus contra proximos tuos, maximè in initio, dum insurgunt, quandoquidem adeò excæcant, ut adducant homines ad accusandum etiam innocentissimos, ad inuolandum etiam in ipsum filium Dei: & perperis in te talibus affectuum malorum motibus, tuæque in iis frændandis socordia, & causis eius, propone emendationem, diuino auxilio ad eos citò & fortiter frændandos inuocato; & simul accendere ad omnes contra te calumnias, & detractioes, Dei causa patienter, libenter, & cum exultatione tolerandas, seu, ut Seneca, etfi Ethnicus, loquitur, *fortiter, honestè, animosè.*

II. Punctum. Considera animæ Christi internum statum in talibus accusationibus, quales & qui in eo tunc affectus fuerint erga accusatores.

tores. Et collatis affectibus tuis internis, dum leuiores pateris, eaque iustis de causis, & occasione à te data, confundere, Deum deprecare, & te corrige.

III. *Punctum.* Considera Christi silentium in his omnibus duplex: Primò, quia dum eum summi sacerdotes accusarent in multis, Iesus nil respondit. Secundò, cum Pilatus dixisset: *Non audis, quanta aduersum te dicunt testimonia: non respondit ei ad vnum verbum, ita vt miraretur Pilatus vehementer.* Excita tenerum gustum animi tui circa hanc patientiam Christi, & scdam tuam superbiam detestare, quæ te fortasse ad tot mēdaciis, & excusationibus palliandos defectus tuos inducit, eamque execrare; & statue, non tantum veras, sed etiam falsas accusationes libenter pro Christo ferre, causis bene ponderatis, quæ te impellere possunt, ad eas æquissimo animo tolerandas.

IV. *Punctum.* Considera condemnationem Christi à Pilato prolatam, eum his circumstantiis. Primò, agnouit, & fassus est publicè coram auctoritatibus, eum esse innocentem, & ex inuidia accusatum. Secundò, Christum postposuit Barabbæ homicidæ, eum dimittens è carcere liberum, quamuis sciret eum esse morte dignum, & Christum innocentem. Tertio, intercessionem vxoris, pro Christo factam, non admisit. Quarto, summo, quod tunc in more erat, supplicio crucis Christum affici decreuit. Tu hinc discce omnes tui accusationes & condemnationes in tua innocentia, & in aliis occasionibus æquo animo ferre. Promitte hoc Christo pro te condemnato, & velis postponi omnibus te inferioribus, & quidem in omnibus rebus & occasionibus.

MEDITATIO VIGESIMAOCTAVA.

Quarta septimo die.

De iis qua Christus passus est in cruce pendens.

Primò. Considera magnam confusionem, & pudorem, quem Christus in cruce sustinuit, omnibus prorsus vestibus exutus pendens in aperta luce, coram innumera multitudine hominum sibi infensorum, & sine vlla etiam occasione alias ipsum irridere solitorum. Hæc confusio ferè maiorem dolorem attulit, quam alij dolores in carne: siquidem verecundus homo mallet occidi, quam denudari, præsertim coram immundis & inimicis. Tu confundere, qui tantopere refugis leuissimas confusiones coram hominibus, & tamen Deum non erubescis, cui scis nota esse peccata tua præterita, & præsentia: imò etiam in sacratissimo foro conscientie tue Confessario quandoque ita manifestare ea, vt sint nota Deo, erubescis. Corrige

mores, & deinceps emenda, & pete à Deo confusiones, & pro hac Christi humiliatione ingentes Deo gratias age.

Secundò. Considera ingentem Christi dolorem in toto corpore, adeò prius flagellis & spinis lacerato, & nunc clavis perfosso, ex illi que pendente. Considera simul causam horum dolorum, esse peccata tua: ideoque compatere sic dolenti, amplectere, & osculare pendentem in tot tormentis pro te: deprecate, offer promptum animum ad tolerandum eius causa omnia corporis incommoda: ea verò, quæ sæpius refugis, propone in posterum te velle querere & amplecti, illius amore.

Tertio. Considera Christi ludibria, & irrisiones, quas perulit pendens, & magnas blasphemias. Nam vt mendacem increpabant, & vanæ gloriæ deditum, & superbium, non valentem de cruce descendere, falsè se Dei filium iactantem. Ex altera parte reuoca in memoriam omnia ea dicta, quæ contra te possunt dici, quam sunt leuia, quam modica, quanto perè tibi conuenientia: & tamen vix fers aliquid æquo animo: & nihilominus pro Christi imitatore haberi cupis. Refolue te ergo ad toleranda quæuis, quæ contra te dici possunt. & Domino tuo pro tot opprobriis gratias age, eumque lauda omnibus modis, magnificè, honora & vt Deum, & vt hominem innocentissimum & sanctissimum.

Quarto. Considera Christum in cruce pendentem in summis animæ, & corporis doloribus: nulla tamen solatia querentem, nec letamina, & summa patientia tolerantem omnia. Et hinc discce in Religiosa cruce, simili patientia tolerare omnia acerba, pro hac eius Passione: & offer illi loco solatij in hoc vltimo agone emendationem, in hoc potissimum, ne sint tibi amaræ cruce Religionis, & vt à peccatis, pro quibus patitur, maximè abstineas.

MEDITATIO VIGESIMANONA.

Prima octauo die.

De doctrinis, quas Christus proponit pendens in cruce.

S. Augustinus tractatu 119. in Ioannem. *Cruz Christi, inquit, non solùm est lectulus morientis, sed etiam cathedra docentis.*

I. *Punctum.* Considera primam doctrinam, quam Christus è crucis cathedra nobis tradit, esse grauitatem nostrorum peccatorum; siquidem est atritus propter scelera nostra, vt ait Iudas. Mortuus autem est ob peccata nostra, propter quatuor utilitates: Primò, vt pro iis Deo satisfaceret, quia nulla pura creatura id poterat. Secundò, vt peccatores per merita in sua morte completa liberaret à mala vita, & mundaret à pecca-

peccatis commissis. Tertio, ut præseruet nos à multis peccatis, in quæ laberemur, nisi eius mortis efficacia nos retineret à lapsu. Quarto, ut etiam pro peccatis, quæ debentur peccatis, satisfacere, & nos ab eis liberaret, iuxta dispositionem, & cooperationem vniuscuiusque. Hinc discas ab hoc Magistro desistere peccata commissa, cauere futura, & ex parte tua satisfacere pro commissis quoad culpam, & quoad penam, ut cooperatione tua, Christi gratiæ adiungenda, reddas te capacem ad hoc, ut Christus quamplurima dona sua & permanentia & transcurrentia applicet tibi, ex infinito thesauro suorum meritum in cruce per mortem completorū. Et huic sanctæ doctrinæ conformia aliqua proposita offer Christus crucifixo.

II. *Punctum.* Considera secundam doctrinam Christi crucifixi de cruce propositam, esse liberalitatem Christo exhibendam, in faciendis, & tolerandis iis, ad quæ nulla legis positivæ obligatione adigimur. Cum enim Christus potuerit nobis præstare, illa beneficia pro peccatis nostris collata, non moriendo pro illis, nec satisfaciendo rigori Iustitiæ diuinæ, sed condonando illa sine vlla & sua & nostra satisfactione, elegit tamen mortem, in satisfactionem pro nobis, adeo acerbam. Ut hinc discas ea pro eius amore & facere & pati, sine quibus posses saluari. Cogita ergo, quid ex supererogatione debeas, & tota vita tua, & his ipsis diebus, quamprimum incipere facere & pati, quod sit aliqua ratione non dico æquivalens (hoc enim est impossibile) sed dignum sanguine, & morte Christi, & vita eius, per tot dolores & cruciatus pro te perditam in cruce: & offer Christus crucifixo aliquas resolutiones bonas.

III. *Punctum.* Considera tertiam doctrinam, quam Christus tibi tradit ex cruce: Amorem scilicet efficacem inimicorum tuorum, imò omnium proflus, etiam eorum, qui non sunt digni tuo amore, & qui sunt abusi tuis beneficiis, vel abusuri sunt. Siquidem Christus crucifigi & mori voluit pro omnibus proflus, etiam pro inimicis, & pro iis quos sua culpa præiudicat damnandos, & non vsuros, vel abusuros suis beneficiis. Vide ergo quid te facere oporteat, & Christo offer bona proposita hac in parte facta.

IV. *Punctum.* Considera quartam doctrinam Christi crucifixi, renunciationem omnium commodorum personalium. Nam in cruce propter te iacturam fecit bonæ opinionis, bonæ famæ, honoris, sanitatis, quietis, commoditatum omnium, in cibo, potu, lecto, victu, vestitu, habitatione & c. etiam vitæ, idque cum summis cruciatibus. Cogita ergo, quid te oporteat discere, & factis tota vita ostendere, te esse verum eius discipulum.

In Colloquio inuoca Sanctos, ut te iuuent ad præstandas ipso opere doctrinas. Secundò, pete

veniam à Christo ob præterita opera contraria eius doctrinis. Tertio, offer ei bona proposita. Quarto, pete gratiam à SS. Trinitate, ut ea exequaris.

MEDITATIO TRIGESIMA.

Secunda octavo die.

De tribus obligationibus nostris erga Deum.

Primo. Considera primam obligationem esse, ut Deum quàm maximè glorifices, & ei des consolationem, tam fugiendo omnia ea quæ illum contristant, quàm faciendò benè omnia illa quæ ei præbent solatium; tum quia propter hunc finem creatus es ab illo, tum quia pro hac re accepisti à Deo tot excitementa naturalia, & supernaturalia; tum quia tam multa adiumenta dedit tibi Deus pro hac re. Vide ergo quomodò hæcenus satisfeceris huic obligationi tua vitæ seculari, & Religiosa; & si quid desit, satisfacere stude. Quod agnosces examinando tuas actiones præcipuas, præsertim triplices, loquelas cum Deo (in Sacro, Meditatione, horis canonicis, coronis, examinibus) & loquelas cum hominibus, tempore recreationis, & extra illam, & loquelas de absentibus. Et si quid emendandum inuenieris, emenda citò & plenè, ut Deo hoc debitum quàm optimè exoluas.

Secundò. Considera secundam obligationem erga Deum, esse pati omnia aduersa, quæ cumque in hac vita accidere possunt contra bonam opinionem de te, & famam ac honorem, ac propriam voluntatem, iudicium & commoditates; tum quia peccata præterita merentur multò maiores calamitates, ut earum tolerantia pro ipsis satisfacias, tum quia præsentis defectus tui merentur Purgatorij pœnas, quæ sunt grauioribus multò omnibus calamitatibus vitæ præsentis, tum quia cælestis gloria, quæ datur pro tolerantia aduersitatum, meretur ut eas tolere; tum quia Christus Dominus, & sancti innocentissimi plura quàm tu pati possis, tolerant; tum quia si hæc omnia decissent, solus Dei amor, qui in talium toleratione exhibetur Deo infinito, id exigit. Resolue te ergo ad satisfaciendum huic obligationi, & eam offer Deo, cum firmo proposito hoc debitum exoluendi.

Tertio. Considera tertiam obligationem esse, studium ardens & nunquam cessans, proficendi in virtutibus omnibus, tuo statui convenientibus, præsertim iis, ad quæ ex obligatione votorum adigeris, & conditione status religiosi. Habes autem magna & motiua & auxilia satisfaciendi obligationi huic: *Primo.* quia iste est finis tuæ vocationis, scilicet perfectio acquirenda, & tua & aliorum per te. *Secundò.* quia id facit te similem Deo, quæ est summa in hac vita nostra felicitas. *Tertio.* quia accepisti à Deo

innumera beneficia, quæ exigunt gratitudinem à te, quam nulla alia ratione melius demonstrare potes, quàm accedendo ad Dei similitudinem, qui hoc ipsum à te postulat, iuxta illud: *Esote perfecti. Et imitatores estote Dei. Et, Qui non sequitur me, non est me dignus. Et, Voluntas Dei est sanctificatio vestra, & his similia.* Quartò, quia Deus dedit tibi ad hoc auxilia efficacissima, scilicet auxilia gratiæ, & internas inspirationes, Sacramenta Eucharistiæ, & Penitentia, bona exempla, Superiores, exhortationes, & alia, Resolue te ergo ad satisfaciendum Deo in hoc, & vide, quomodò sit tibi deinceps viuendum, vt debitum hoc Deo exoluas.

Quartò, Considera causas, seu impedimenta propter quæ hactenus non satisfecisti obligationibus istis, & perpensis motiuis, quæ te possunt excitare ad satisfaciendum in iis Deo. Resolue te efficaciter ad soluenda hæc tua debita, vt & Deo des debitum honorem & consolationem, & propter eundem etiam animæ tuæ multa bona concilies.

In Colloquio, *Primò* inculca, cum magna cõfusione tui coram Deo, quòd hactenus non satisfeceris his tuis obligationibus, quibus facile potuisses satisfacere, si ista efficaciter voluisses, vt soles velle satisfacere tuæ propriæ voluntati, vel gustui tuorum sociorum, quos ne contristares, non curas contristare Deum. *Secundò*, pete veniam de his. *Tertiò*, promitte illi seriam emendationem deinceps, & quidem in aliquot saltem rebus præcipuis, quas ei in particulari offer, & repræsentata tanquam executioni seriæ & efficaci mandandas. *Quartò*, pete auxilium à Deo, & à Sanctis eius intercessionem, pro efficaci executione horum propositorum. *Quintò*, gratias age Deo, quòd te tam diu tolerauerit patienter in his delinquentem, & qui ob tuos defectus non cessarit tibi benefacere modis innumeris. *Sextò*, ideoque extolle & lauda eius patientiam, & beneficentiam, dicens vel Psal. 162. qui incipit, *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt* (qui psalmus deberet sapientius à te recitari in hunc finem) vel, *Magnificas anima mea Dominum.*

MEDITATIO TRIGESIMAPRIMA.

Tertia octauo die.

An iuxta proposita præterita, merito fugiendi sint præcipui defectus, tredecim annotati.

PRæmissis Præludiis proportionatis, & in genere reuocatis in memoriam præteritis propositis, practicè delibera, adiuuentis variis motiuis, quantoperè hi defectus sint vitandi à te in Religione:

Primò, Agere ferre, si ab altero defertis ad Superiorem.

Secundò, Rem scandalosam in altero deprehensam, vel noxiam, non deferre Superiori.

Tertiò, Vetare alteri, ne quid Superiori dicat, siue vltro, siue interrogatus.

Quartò, Non respondere Superiori sincerè, sed rem occultare, etiam si interroget.

Quintò, Officiales immediatos, vt sunt Subministri, non reuereri, eis obloqui, non obedire æquè promptè ac Superiori maiori.

Sextò, mentiri deliberatè.

Septimò, Detrahere proximo, eiusque res eleuare.

Octauò, Contra Superiorum Ordinationes murmurare, saltem mente.

Nondò, Excitare alios ad non seruandum ea, quæ sunt à Superioribus constituta ad faciendam aliquam, vel non faciendam.

Decimò, Contendere cum aliquo, & inquietè viuere.

Vndecimò, Amicitias priuatas, vel secreta contenticula inire.

Duodecimò, Legere libros lasciuia continentis, prætextu falsæ necessitatis, vt sunt libri poetici, anatomici, vel medici &c.

Decimotertio, Schedas litterarum occultas scribere, vel oretenus significare alteri absentia ea quæ Superioribus quis scire nollit.

Colloquium facies offerendo Deo voluntatem fugiendi hos defectus, inuocatis Dei & Sæctorum auxiliis.

MEDITATIO TRIGESIMASECVNDA ET VLTIMA.

Quarta octauo die.

Summa præteritarum meditationum.

I. Punctum. Reuoca in memoriam Proposita præcipua Meditationum præteritarum omnium in his Exercitiis, singulorumque vim, sensum, latitudinem, pondera; & tandem ea omnia reuoca, & per manus Beatissimæ Virginis Angelo tuo Custode, S. Ignatio, aliisque Patronis tuis assistentibus, ea SS. Trinitati offer.

II. punctum. Considera excellentiam, vtilitatem, necessitatem, quæ est in perfecta executione horum propositorum: quam facilius agnosces, si intimè penetraueris, & virtualiter in mente habueris impressum finem, propter quem creatus es; finem, propter quem ad Societatem Iesu vocatus es; satisfactionem quam Deo debes pro peccatis tuis; compensationem quam teneris Domino tuo facere pro te non detructo ad infernum, vel Purgatorium, ob tua peccata; gratitudinem, quam debes ostendere pro Christi passione, & morte, & aliis beneficiis diuinis: Denique necessitatem ita viuendi, vt semper sis paratus, sine Confessarij opera, sistere te in iudicio

iudicio & tribunali Domini Dei tui.

III. *punctum.* Considera plus facere, & pati homines pro mundanis desideriis, caducis, transitoriis, valde noxiis, assequendis, quam tu pati possis pro exequendis his bonis propositis. Quid enim non faciunt, & patiuntur rustici in pagis, famuli aliorum, mercatores, rectores, nautæ, milites, & alij: & non erit æquè dignus Deus, tanta in te diligentia, quanta diabolus, quanta mundus. Agnosce aliquando cæcitate, & duritiem tuam, & trade te Domino tuo eo modo, quo ipse expetit, propter bonum tuum offer te, pete gratiam pro executione.

MEDITATIO

De Quatuor stultitiis hominum, seu de quatuor cæcitatibus.

Primo die post octiduanam collectionem consideranda.

Primò, Considera magnam esse stultitiam & cæcitate mentis, plus facere iacercatum ob crimen læsæ Maiestatis, quam Regem ab eo læsam, & eius iudicium futuram. Tales sunt qui, ne offendant, vel contristent hominè, offendunt Deum, respectu cuius homines omnes, etiam nunquam peccassent mortaliter, sunt rei læsæ Maiestatis, saltem ob peccatum originale, quod sibi esse dimissum certò & infallibiliter nemo scit, nisi ei Deus reuelet. Quocirca resolute te ad honorandam infinitam Dei Maiestatem in hoc, ne quicquam facias, vel omittas propter homines, seu humanos respectus, quo possis offendere Deum. Ut autem ad hoc te resoluas, inuestiga motiva illa, ob quæ propter homines Deum offendisti, ne homines offenderes. Inuenies enim eadem, & multò maiora esse ad habendam maiore rationem Dei, quam hominum, & offensarum eius, quam humanarum.

Secundò, Considera secundam stultitiam & cæcitate hominum eorum, qui plus faciunt lucra minora noxia, quam maiora & utiliora, rebus omnibus & circumstantiis consideratis. His sunt similes ij serui Dei, qui, cum possint faciendo aliquid boni, vel patiendo aliquid mali, lucrari præmia æterna in cælo, non curant illa, sed malunt tunc percipere aliquam consolationem terrenam citò transiuram. Quod quam turpe & noxium sit, perpende, & sancta auaritia accensus, incipe congregare lucra æternitatis, & breui duratura contemne. Et in particulari annota, & Deo offer ea, in quibus te deinceps vis emendare.

Tertio Considera tertiam stultitiam, & cæcitate hominum, qui etiam bona non noxia, sed utilia omnino, verum non diu duratura magis quærunt, quam alia utiliora & duratura

longè diutius. Tales sunt, qui contenti mediocri bonitate, non conantur esse sancti & perfecti. Hoc quàm dedecet hominem ratione præditum, & qui pro corpore quærit semper meliores vestes, cibos, potum, habitationem, & alia omnia; pro anima tamen sua non æquè desiderat, & quærit ei magis profutura in æternum. Et hinc discere, inter duo bona spiritualia & honesta, semper eligere maius.

Quartò, Considera quartam stultitiam, & cæcitate hominum, qui plus faciunt voluntatem propriam, quam diuinam, ferentes, & speculatiuè, & experimentaliter, ac practice, multa mala, etiam in hac vita secuta, ex propria voluntatis executione, quæ non sunt secuta ex executione diuinæ voluntatis. Quod quàm fœdum sit, quàm etiam nostris propriis commodis noxium, perpende, & proficere stude.

In Colloquio, Primò, confundere coram oculatissimo Deo. Secundò, pete veniam, ne tibi noceant hæc stultitia. Tertio, promitte emendationem seriam. Quartò, pete auxilium à Deo, ut aperias oculos ad cognoscendas tuas stultitias, & eas corrigendas, & ad exequenda bona proposita facta in octiduanam Collectionem.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

De insigni Conuersione cuiusdam Monialis Romane, primo die Exercitiorum facta, & magna viua sanctitate eiusdem statim acquisita per Exercitia S. Ignatii.

PROTESTATIO AVTHORIS.

Cum in vita Virginis Mariæ Bonauenturæ nonnulla attingantur, quæ videri possent extraordinaria & continentia futurorum præfagia, hæc omnia ita lectoribus proponuntur, ut non debeant ab iis accipi tanquam examinata & approbata ab Apostolica Sede, sed tanquam ea, quæ à sola suorum actorum fide pondus obtineant, atque adeò non aliter quam humanam narrationem simplicem & historiam. Proinde sanctæ Inquisitionis Decretum, Anno 1625, editum, & Ann. 1634, confirmatum, integrè atque inuolatè, iuxta Declarationem eiusdem Decreti à SS. D. N. Urbano Papa octauo factam Anno 1631, seruari à me omnes intelligant, & omnia in eo statuta à me relinqui, quem seclusa hæc lucubratione obtinerent.

VT agnoscat meliùs fructus Exercitiorum Spiritualium S. Ignatii, & qua præparatione animi aggredienda sint, & qua diligentia peragenda, & ad quos fines dirigenda, magnæ auctoritatis viris suadentibus, statim describere insignè cuiusdam sanctimonialis conuersionem ad vitam valde sanctam, horum Exercitiorum beneficio repente, per singularem Dei gratiam, subsecutam. Vnde quiuis intelligere poterit, quibus